

4 (*Annunziata*, n. 582)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

4 (Annunziata, n. 582)

1347 marzo 25, Ind. XV, Matera

In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno dominice incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo quatragesimo septimo. Regnante *domina nostra* Iohanna *Dei gratia inclita* Ierusalem et Sicilie regina, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero eius anno quinto, mense martii, die vicesimo quinto eiusdem, quintedecime indictionis, .

Ego Bisancia, relicta quondam Thomasii Leonis de Lot de Matera, in presentia Nicolai iudicis Clementis annalis Matere iudicis , Francisci iudicis Simini publici per totum iustitiariatum terre Ydronti regia auctoritate notarii, iudicis Cataldi iudicis Mathei, Martucii Andree de Romaca, Iaconi Francisci Angeli Russi, Iaconi Thomasii filii Angeli de sire Thomasio, Tuccii de dopno Petracca et Leonardi Leonis Curuli testium *litteratorum et illetteratorum* de eadem terra *ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum fateor et declaro quod, cum haberem tenerem et possiderem iusto titulo et bona fide intus* in tenimento Matere, in contrata seu serra ecclesie sancte Ecaterine vineam unam vitium cum diversis arboribus intus in ea existentibus, cum orto uno prope ipsam et puteo uno ab aqua intus in eo, sitam prope vineam Dominici Albani rasula mediante et prope strictulam qua itur ad ecclesiam dicte sancte Caterine et prope vineam Roberti et Laurentii nepotum meorum rasula mediante et usque ad viam publicam prope Planum de Cruce, *et si qui alii sunt confines cum iuribus et pertinentiis eorum omnibus placuit mihi ipsas vendere et pretium inde accipere ad [opus] mee utilitatis agendum* . Unde voluntarie *in predictorum presentia ego prefata mulier* stantibus mecum in toto

presenti contractu Roberto et Laurentio nepotibus meis legitimis mundualdis, stantibus etiam et auctoritatem mihi prestantibus duobus aliis proximioribus parentibus meis, adhibita et servata mihi in hoc omni legis et iuris auxilio que in mulierum contractibus adhiberi consuevit et debet, certiorata prius etiam per predictum iudicem de legum et iuris beneficiis // (130v) *commonita prius etiam per predictum iudicem de legum et iuris beneficiis, voluntarie tradidi et per fustem ut moris et iuris est liberando transactive, tradidi et assignavi palam, publice et bona fide predictam vineam cum orto et puteo cum introitu et exitu suis de fine in finibus suis cum omnibus iuribus utilitatibus et pertinentiis eorum omnibus* presbitero Petracce de Matera, stante cum eo pro avvocato xxx Tuccio nepote suo causa honoris ecclesiastice dignitatis, pro in carlenis argenti sexaginta per uncias computatis boni et iusti ponderis unciis xxx bus ponderis generalis pretio huius venditionis finito, quod quidem pretium eodem presbytero Petracca iustum et integrum michi solvente recepi [manualier] ab eodem et renuntiavi exceptioni non numerate pecunie non ponderate non tradite et non assignate exceptioni doli mali metus vix et in factum iuri canonico, [civili et lon] gobardo, constitutionario, consuetudinario, iuri scripto et non scripto, capitulis regis, auxilio Velleiani, beneficio restitutionis in integrum et [iuri dicenti] generalem renunciationem non valere et penam prohibet in contractibus adhiberi et adhibitam non committi nec exigi cum effectu ac omni alii legum [aux]ilio communi vel speciali propter que vel ipsorum aliquod possem me a presenti obligatione tueri et eam in parte minuere vel totaliter adnullare, predictam [vineam] cum orto et puteo et iuribus suis omnibus

supradictis vendendo eidem presbytero Petracte et per fustem liberando transactive tradidi ut est dictum xxx in corporalem et vacuum possessionem predictorum bonorum stabilium induxi sic quidem, ut amodo et in antea omni que futuro tempore predictam vineam cum orto et puteo et iuribus suis omnibus supradictis sit ipsius presbyteri Petracte, eius heredum et successorum, dando eis plenariam potestatem et auctoritatem faciendi de eis in eis et ex eis quicquid voluerint sine mea meorumque heredum ac omnium aliorum hominum molestia contrarietate et requisitione nullis michi vel meis heredibus sive alicui alii in eis iure dominio seu proprietate servatis. Renuntiato a me predicta muliere exceptioni illius legis rem maioris pretii per quam alienatio dimidio iuste pretii facta dicitur non valere contra que si fecero et per causationem seu per leges cum dicto presbytero Petracte vel eius heredibus exinde venero modo quolibet vel ingenio, obligo me meosque heredes componere eis pene nomine uncias auri duas et totidem reginali curie penam ipsam me predicto notario publico pro parte dicte curie a dicto presbytero Petracte pro se et suis heredibus sollempniter et legitime stipulationibus, que predicta pena quotiens committatur, totiens exploratur seu exacta vel non, seu gratiose remissa, prescripta, infrascripta omnia nichilominus in suo robore perseverent fideiussoribus proinde positis predictis Roberto et Laurentio presentibus, volentibus et se ad fideiuxionem eamdem voluntarie obligantibus ad que predicta et infrascripta omnia sub prefati fideiussores voluntarie obligavimus, ut est dictum, prestita licentia per nos principalem et fideiussores meos predictos pignorandi nos nostrosque heredes per omnia bona nostra pignora licita et illicita, iura vetita

vel permissa, sine licentia curie et iussu preconis, donec predicta et infrascripta omnia compleantur a nobis predicto presbytero Petracta [et eius] heredibus prout superius est expressum; pro quibus omnibus adimplendis et inviolabiliter observandis ego prefata mulier cum consensu et autoritate quibus supra et nos xxxx predicti fideiussores in manibus dicti emptoris tactis sacrosantis evangeliis corporaliter super libro evangeliorum prestitum iuramentum predictam venditionem [ratam, gratam] et firmam habere et contra eam ullo umquam tempore futuro non venire, quinimo ipsam defendere et disbrigare ab omni umana persona, collegio et universitate ipsos xxxx molestare volente in iudicio vel extra iudicium, quacumque ratione vel causa. Que predicta omnia nos predicti iudex notarius et testes fatemur atque testamur [vera esse] acta gesta celebrata confixata et stipulata fuisse sollemniter coram nobis prout et qualiter perleguntur et presens publicum continet instrumentum.

1

2

3

4

5

6

Ramata M

Petranita M

straticulam M

omni M

Manca in M

Così F e M

Quod scripsi ego predictus Franciscus iudicis
 Simini puplicus ut supra notarius qui predictis
 vocatus et rogatus interfui et meo solito signo
 signavi [subscri]ptione mei qui supra iudicis et
 nostrum subscriptorum et subsignatorum testium
 subscriptionibus et subsignationibus roboratum

Nicolaus iudicis Clementis annalis Matere
 iudexroleName>

Ego iudex Caystaldus iudicis Mathei testor qui supra

Ego Martucius Andree de Romaca testor qui supra

Ego iaconus Franciscus filius Angeli Russi testor qui
 supra

Ego iaconus Thomasius filius Angeli sire Thomasii
 testor qui supra

7